

Anhang (zu S. 6).

DIRKSEN, p. 4 squ.

Lex nostra non solum singulas civitatum species, quas *Lex Galliae Cisalpinae* et locus *Pauli* laudatus exhibent, silentio praetermittit; sed numerus oppidorum diversis Tabulae capitibus varie compositus est, cum caput sextum, septimum et undecimum non nisi municipiorum, coloniarum et praefectarum nomina praebeant, foris et conciliabulis omissis, et capite duodecimo de municipiis solis agatur. Quod maximi momenti est, et in huius rei causas diligenter inquiri oportet: inde enim, si quid video, doctrina de peculiari reipublicae forma in singulis civitatibus, quae multis etiamnum tenebris obducta est, non nihil luminis accipere potest. *Mazochius* plane supersedit huic rei animum advertere, persuasus, quocumque legis romanae monumento, quod nomina civitatum varii generis continet, integrum earum, quotquot tum temporis fuerint, numerum exhiberi; veluti legis cuiuscumque rogator longe antiquissimum ratus esset, in usum sequiorum aetatum doctrinae suae fontes aperire, nec in exemplis oppidorum eligendis id inprimis egisset, ut rei, quam tractandam susceperat, ex asse responderent.

Vicorum et castellorum nomina, in *Lege Galliae Cisalpinae* ubicumque obvia, in nostra Lege prorsus desiderantur; quod Tabula haec, oppidorum genera enumerans, modo Decuriones et magistratus in illis creandos, censumque habendum respicit, neque de iis civitatibus agere potuit, quae tam collegio Decurionum et propriis magistratibus, quam censu in ipsis habendo destitutae erant, cuius conditionis vici et castella fuerunt⁸). Sed quanam de causa numerus civitatum, quas Lex nostra nominat, variis illius capitibus sibi non constat? Quintum et octavum caput, quae de Decurionibus creandis cavent, nec non nonum et decimum, quae de Decurionibus in concilium vocandis et de dignitate privilegiisque ordinis Decurionum loquuntur, municipiorum, coloniarum, praefectarum, fororum et conciliabulorum nomina exhibent; unde colligere licet, in unoquoque horum oppidorum peculia-

8) *Isidori* Orig. l. l. *Vici, et castella, et pagi ii sunt, qui nulla dignitate civitatis ornantur, sed vulgari hominum conventu incoluntur, et propter parvitatem sui maioribus civitatibus attribuuntur.* Cf. *Zonarae* Annal. Tom. 2. pag. 245. Tom. 3. p. 30. edit. Wolfii. Basil. 1557. fol. — L. 30. D. ad municip. *Rothius* de re municipali rom. p. 67. not. 29. Stuttgart. 1801. 8. *Sarvinius* l. l. Vol. 1. pag. 16. De loco *Festi Pompeii* v. Vici, qui his testimoniis repugnare videtur, infra agetur.